Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1201
Quelle:
Copyright:

uit, dignum duximus insistendum. Igitur de *Actione* et *Passione*, de *Causa* et *Effectu* &c. Terminorum scholasticorum expositio sine Autoris nomine.

V. *fol.* 148. Tabula sive, ut in fine, *Concordantie super totam sententiam fratris thome super 4^or scripta sententiarum et super summam contra gentiles secundum ordinem alphabeti.* Item peculiaris *Tabula S. Thome super 4^or Scripta sententiarum.*

Anteriori Codicis Thecae praetexta est Membrana Tractatus cujusdam Rabbinici de Architectura eleganter scripta, in qua excitatur רב גירל *Wolfio* ignotus, fortasse *Geraldus*, aut *Giraldus* aliquis *Italus*, et רב חייא בר יוסף, qualem igitur non confinxit *Plantavitius*, ut idem censuit *Wolfius Bibl. Hebr.* T. I. p. 366.

DXIV.

U. 438 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 184. f. partim lineis longis, partim per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, olim *Collegii*, ut in Theca postica notatum, *Rubeerose* Varia complectitur hoc quidem ordine: I. ut e calce adsumo, *Summam sententie editam a fratre iacobo de Iosanna quondam prouinciali francie*, eandem scilicet et eadem prorsus ratione, ut in superiori *Codice*. Adjecit minio quidam: *Hac lectura vsus sum anno &c.* (14) *vndecimo et vtar pro sequenti si deo placuerit, cui sit gloria in eternum.* Sane prudenter; mihi enim semper absonum visum est, quemvis novum Doctorem ad compilandas novas Praelectiones aut adigi, aut admitti.

II. *fol.* 75. succedunt Conclusiones *IV. Librorum Sententiarum* hoc ingressu: *Ad preces studencium dum essem lector in monte pessulano et ut fratres pauperes sub compendio sententias haberent librorum sententiarum, Ego frater Jo. de fonte ordinis fratrum minorum per modum conclusionum sententialiter distinctionem quamlibet ejusdem voluminis recollegi. Et primo quovis libro subdens conclusiones in quibus magister a doctoribus non tenetur.* Initium: *Veteris ac noue legis. Dist. 1. habet X. conclusiones. Prima est quod tractatus sacre pagine* &c. Finis Libri IV. *agentes gratias de sua liberatione visa inpiorum ineffabili calamitate.* De Autore, ut etiam alibi dixi, nihil mihi constat, nisi *Gallum* fuisse.

III. *fol.* 100. Prolusiones II. Academicae, in principio Praelectionis *LL. Sententiarum* III. et IV. habitae *Viennae*, prior quidem in Quaestionem: *Vtrum Lex dei increata sit cuiuslibet alterius legis regulativa?* Altera in Quaestionem: *Vtrum Lex sacramentorum per christum hominem ecclesie concessa sit humane nature lapse reparatiua?* In utraque Prolusione Autor *concurrentes* suos *in Lectura Sententiarum* vocat *M. Vlricum de Patavia*, qui jam a. 1415. Academiae Rector praefuit, et *Johannem de Basilea* O. P. quem in secunda *Priorem Conventus* ad-